

secundo, quia eadem est furax: furatur enim ova aliarum avium, unde perdix a perdendo dicitur, ait S. Ambrosius *epist.* 48; *tertio*, quia libidinosa est: hinc perdix capiens et vincens perdicem, victam et captam turpiter subigit, ait Aristoteles lib. IX *Histor. animal.* cap. VIII, et Plinius lib. X, cap. XXXIII. Notat ergo dolosos amicos, qui in domos amicorum se insinuant, ut eorum uxores et filias vitient et corrumpant. Verum quia Siracides jungit capturam perdicis capturæ capreæ, cui jam dicta non competunt, hinc.

Tertio, exponas planissime, *q. d.* Sicut perdix in cavea et caprea in laqueo, sic est cor superbi in domo aliena, præsertim æmuli. Sicut enim perdix in cavea est invita, omnesque modos quærît eam diffringendi, ut avolet, ideoque nil boni in ea facit, nisi quod eam fœcibus suis conspurcet: sic et cor superbi, quod super omnes et omnia se extollit, in domo aliena, videns illam sua magis instructam, ornatam, florentem, invidet et ringitur, omnesque modos cogitat, quibus eam supplantet et deprimat; unde nil boni in ea facit, nisi quod præsens sua superbia, crapula et insolentia, ac absens sua detractio, dolis et fraudibus eam conspurcet, infamet, dejiciat, et in calamitatem ruinamque præcipitet. Ita Jansenius. Porro Siracides associat perdicem capreæ, quia hæc animalia amica sunt et socialia. Perdix enim amat capream, et caprea perdicem; unde simul incedunt et pabulantur, quo fit ut ab aucupe simul capiantur. Auceps enim capreæ aut perdicis vocem imitans, invitât ad se capream vel perdicem; cumque caprea venit, accurrit et perdix ad eam quasi amicam et sociam, ac vice versa ad perdicem accurrit caprea; itaque una cum ea ab aucupe illaqueatur et capitur, ut docet Oppianus, lib. II *De Venat.* Simili modo amicus amico doloso se associans, ab eodem in laqueum et exitium inducitur. De perdice plura dixi *Jerem.* cap. XVII, 41.

Ultima similitudo est: « Sicut prospector, » græce κατήρακος, id est *speculator*, *q. d.* Superbus et invidus est instar speculatoris, qui ex alto observat, procurat, videt et ridet calamitatem et casum sui proximi et æmuli. Tigurina et alii hanc similitudinem nectunt cum secunda perdicis et capreæ, uti paulo ante ostendi.

Huc facit Pythagoræ symbolum: « Hirundinem sub eodem tecto ne habeas. » Quod S. Hieronymus secutus Aristotelem interpretatur abstinentiam a commercio garrulorum et susurronum. Hirundo enim est garrula, suaque garrulitate aures hospitem obtundit; insuper nullam hospiti affert utilitatem, nisi quod fœcibus suis tecta conspurcet. Unde proverbium: « Hirundinum musæa. » Ad hæc, duo sunt animalia plane indocilia, quæ nulla arte cicurantur aut mansuescunt, scilicet musca et hirundo, utpote diffidens semper, semperque suspicans mali quippiam. Denique hirundo instabilis et infida est; ineunte enim vere advolat,

hieme instante avolat. Hirundo ergo notat hospites garrulos, dicaces, detractores, spurcos, ingratos, infidos, quales sunt uperbi et dolosi, non esse in domo excipiendos.

Syrus aliam similitudinem canis addit, quæ non est in Græco, nec in Latino: *Sicut*, inquit, *canis qui in omnem domum inaudit et rapit, sic iniquus in omnem domum ingreditur et tumultuat, et bona in mala convertit, et in vasis concupiscentiæ præbet officulum.* Quæ sultima sic exprimit Noster:

33. BONA ENIM IN MALA CONVERTENS INSIDIATUR, ET IN ELECTIS IMPONET MACULAM. — Græce μάμων, id est vituperium et reprehensionem. Unde Momus, judex et deus censuræ apud Gentiles, qui omnia censet, carpit, redarguit: hinc et μάμωνος significat maculam, ab Hebr. מום *mu*m, id est macula, quia macula vitii censuram et vituperium præit, ac macula infamiæ censuram sequitur. Unde Gyrardus *De Diis Gentium*, syntag. 1: « Momus ait, dicitur convici, maledicentiæ ac reprehensionis deus, » quem ex nocte natum dixit Hesiodus, qui tantæ libertatis fuit in reprehendendo, ut et sandalia et crepidas Veneris reprehenderit. Sensus est, *q. d.* Superbus etsi fingat se amicum, tamen ex superbia, ut se exaltet, teque deprimat, tua bene dicta vel facta calumniabitur, et in male dicta vel facta convertet: itaque *in electis*, græce τοῖς ἀλεκτοῖς, id est, eligibilibus et probandis, tam factis et rebus, quam hominibus, imponet vitii et vituperii maculam. Unde Tigurina vertit, *nam bona male pervertendo insidiatur, et vitio dat laudabilia.* Aliqui legunt ἀλετοῖς, id est, laudandis; Complutenses legunt ἐν τοῖς ἀλεκτοῖς, in hæreticis, hoc est in iis qui ejusdem sunt hæresis, id est, sectæ et societatis, *q. d.* Superbus suos socios perfide traducet et diffamabit. Sic Pharisei miracula, vitam et doctrinam Christi vituperarunt, eumque vocarunt dæmoniacum, vini potorem, et amicum publicanorum. Sic Saul benefacta Davidis in malefacta convertit, eique insidiatus est usque ad necem. Sic Pharaos Mosi et Hebræis, Aman Mardocheo, Babylonii Danieli per calumniam insidiati sunt, adeo ut eum secundo in lacum leonum detruserint. Præclare S. Isidorus, libro II *Sentent.* cap. xxxii: « Nonnulli, ait tantæ sunt pravitate homines, qui, dum ipsi a malo corrigi negligunt, correctorum vitam falsa criminatione detrectant, et ad sui sceleris solatium usurpant, si vel falso compererint, quod ad infamiam bonorum obijciant, sicut est illud ex Salomone (multi enim Ecclesiasticum tribuerunt Salomoni, uti dixi in Proœmio): Bona in malum convertit impius, et in electis imponit maculam. Væ autem illi qui et suam renuit vitam corrigere, et bonorum non desinit detrectare! »

Porro Palacius hunc versum cum præcedenti sic apposite connectit et explicat: « Cave, inquit, ne in domum tuam dolosum adducas; ut enim præcordia putria, quamvis odoratos cibos eis

injicias, putent semper tamen: ita licet beneficiis dolosum afficias, machinabitur tibi tamen malum; et sicut perdix inducitur in caveam, ubi, licet tibi delicatius alatur, machinatur tamen fugam a cavea; ac sicut caprea in laqueum coniecta, et ad delicias eam habentis educata, fugam continenter meditatur: ita dolosum tu in tuam domum inducis, ubi deliciose eum alis; at ille insidias tibi continenter parat, et est cor ejus, sicut prospector, qui attente videt ubi cadas, id est, ubi te cadere faciat. Bona enim tua in malum interpretabitur et convertet; et quæ tu das illi electa, ille macula nigra notat et infamat. Plane ut pectus putre, ut perdix captiva, ut caprea illaqueata, bona quæ suscipiunt, convertunt in malum quod meditantur. Quam hæc in nos quaerant, qui tot tantaque bona a Deo suscepta, in ejus offensionem convertimus! » Ex hac sententia colligit Evaristus Papa, ut habetur II, *Quæst.* VII, cap. 1, laicos non esse audiendos in accusatione Episcopi: « Quia, inquit, pro meritis subditorum disponitur a Deo vita rectorum. Et quia insidiator bona sæpissime solet convertere in malum, et in electis ponere maculam. »

34. A SCINTILLA UNA (Complutenses μικρῆς, id est parva) AUGETUR IGNIS, ET AB UNO DOLOSO AUGETUR SANGUIS (id est sanguinis effusio, cædes et homicidia); HOMO VERO (ita Romana et Lucius Papa *epist.* 1; sed Jansenius pro vero legit enim) PECCATOR SANGUINI INSIDIATUR. — Græcus de more concisus et bimembris sic habet, *a scintilla parva exardescit focus: ita scelerosus homo insidiatur usque ad sanguinem; Syrus, ex pauca stupa accenditur ignis: sic homo iniquus effundit sanguinem, sicut aquam.*

Est hæc nova ratio cur cavendum sit a doloso et superbo, quia scilicet unus dolosus est instar scintillæ in palea vel stipula, quæ proserpendo per suas detractioes et susurros magnum litium, odiorum, rixarum et homicidiorum excitat incendium. Id sæpe fit præter mentem et intentionem dolosi: at vero ubi dolosus fit peccator, id est, plane se peccatis et nequitiae dedit, tunc ex intentione *insidiatur sanguini*, ac flabello linguæ et fraudis suæ ex proposito pugnas et cædes suscitât et accendit.

Porro S. Cyprianus, lib. *De Singularitate Clericorum*, hanc sententiam applicat conversationi cum mulieribus; modica enim cum eis familiaritas instar scintillæ proserpens, magnum tandem libidinis ignem et fumum, id est incendium et infamiam, suscitât. Verum Siracides ad litteram agit de doloso, non de mulieroso.

Moraliter, disce hic parva vitia non esse negligenda, sed exstirpanda; sicut enim una scintilla injecta in pulverem tormentarium, turres et urbes evertit: sic unus defectus levis, data magna occasione, gravem sui et aliorum ruinam causat. « Modicum fermentum totam massam corrumpit, » ait Paulus I *Cor.* v, 6. Dolosus ergo est parvus defectus, qui aditum ad sanguinem, id est

ad majora peccata, aperit. Huic gnômæ similis est illa Sallustii in *Catilina*: « Parva scintilla contempta magnum excitavit incendium. » Et illa Solonis: « Ex minimis principiiis grandes nascuntur lites, ut ignis ex scintilla; » quod citat S. Hieronymus in cap. 1 *ad Galat.*, et adaptat hæreticis. Sic Arius fuit scintilla, quæ sua hæresi totum accendit orbem. Et S. Gregorius Nazianzenus de vitiiis levibus, in *Sententiis*: « Ingentem flammam perexigua quoque scintilla excitat. »

35. ATTENDE TIBI A PESTIFERO, FABRICAT ENIM MALA; NE FORTE INDUCAT SUPER TE SUBSANNATIONEM (Græce μάμων, id est maculam, vituperium, infamiam, quæ inducit hominum derisionem et subsannationem) IN PERPETUUM. — Plane enim dignus es, quem omnes subsannent, si non caves eum qui omnes læsit, ait Palacius. Pro pestifero græce est κακοδρόμος, id est vafri, maligni, qui studio et ex malitia satagit nocere: qui sane pestilens est. A tali ergo cave, quia talis quasi faber mali, non nisi malum machinatur et fabricat, ut tibi maculam infamiæ perpetuam inurat. Tigurina, *ab homine malefico et moliente mala cave, ne tibi notam inurat perpetuam.* Huc facit apologus cassitæ sive galeritæ (ita vocatur alauda, quod in capite habeat galericulum quasi cassidem) apud Æsopum. Cassita enim videns aucupem fabricantem laqueos et retia ad aucupium, accedens rogavit quid moliretur; cui ille: « Urbem fabrico. » Refibus dispositis abiit auceps, seque inter arbusta abdidit. Advolat cassita, ut Neapolin, novam urbem, inquam, speculetur, illicoque reti illaqueata capitur ab aucupe. Ad quem illa jam mœrens: « Si talem, inquit, urbem fabricas, paucos ejus habebis incolas. » Docet apologus deseri destruique ædes et familias, in quibus aliis doli et fraudes struuntur.

36. ADMITTE AD TE (Græce ἐνοχέω, id est inhabitare fac, inserere domui tuæ, eique quasi in-cula) ALIENIGENAM, ET SUBVERTET TE IN TURBINE, ET ABALIENABIT TE A TUIS PROPRIIS, — scilicet rebus et opibus. Perperam multi legunt, *a viis propriis*, quod sic explicat Palacius: « Cave, inquit, ne in tuam familiaritatem inducas virum a fide alienum, ne te a tua fide velut turbo dejiciat, et a viis propriis tuæ religionis abalienet. Utinam hoc consilium accepisset Salomon! non fuisset a religione velut turbine dejectus; et Judæi, qui alienigenas susceperunt, didicerunt mores eorum. Perperam, inquam, legunt *viis propriis*, græce enim est, τῶν ἰδίων σου, id est, *a propriis tibi*, vel *tuis*; et ita legit Lucius Papa *epist.* 1. Rursum « in turbine, » id est, instar turbinis, vel cum turbine. Minus recte codex S. Augustini in *Speculo* habet, *in torpore*; græce enim ἐν ταραχῆς id est, *in turbis*, concitando scilicet contra te turbas et tumultus, quibus te involvet, et a tuis bonis expellet. Tigurina, *alienum in domum tuam recipe, et cum perturbatione subvertet, eaque te tuis possessionibus; alii, domo excipe alienum, et te turbis evertet, et*

Apologus cassitæ.

Vers. 35.

Ex nimis maxima.

abalienabit a te propria bona; Syrus, ne adhaereas iniquo, ne forte pervertat viam tuam, et convertat te a statu (alius codex habet, a conspectu tuo). Est ironia, q. d. Suscipe, si libet, in domum extraneum quem non nosti, nec satis explorasti; sed scito quod gravi periculo te exponis, ne ille vafre te a tua domo bonisque excludat, eaque sibi arroget et usurpet, ut fecit Jugurtha, qui in regiam receptus a Masinissa rege, ejus filios et familiam everit; unde ortum est Romanis bellum Jugurthinum, quod describit Sallustius. Et Herodes Aescalonita a se in familiam Hyrcani, omnem ejus et Assamonæorum, sive Machabæorum, stirpem extinxit, ejusque regnum usurpavit, ac Judææ se regem creavit, uti narrat Josephus in ejus Vita. Huic conceit adagium Græcorum: «Atticus advena,» quod citat Aristoteles lib. III *Rhetoric.*, dici solitum in advenas violentos, qui inquilinos sedibus suis exturbant. Duris apud Zenodotum ait ex Atticorum moribus natum, quod olim finitimos e suis sedibus exigere consueverint. Craterus inde manasse putat, quod Athenienses (in Attica primi) qui in Samum missi fuerant, indigenas expulerint.

Vidi olim Lovanii catulum vulpeculæ recens natum, ex nido matris sublato inseri nido catulorum felis, ut ab ea lactaretur; sed catulus vulpeculæ crescens, post paucos dies, catulos felis occidit, sibi que soli nidum usurpavit. Idem fecerunt, et faciunt alienigenæ. Unde Christus Herodem juniorem, Herodis jam dicti filium, vocavit vulpem: «Dicite, inquit, vulpi illi,» *Lucæ* XIII, 32. Denique hæc sententia sæpe vera est, at non semper: significat enim quod crebro fiat ab advena avaro et superbo. Sunt enim advenæ prohi, qui hospites suos ditant et leant.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit docere a quibus cavendum sit, nimirum ab impiis et ab inimicis. Igitur, vers. 1 usque ad 8, docet benefaciendum esse justo, non impio. Inde, vers. 8 usque ad finem, docet inimico non esse fidendum etiamsi amicitiam simulet.

1. Si benefeceris, scito cui feceris, et erit gratia in bonis tuis multa. 2. Benefac justo, et invenies retributionem magnam; et si non ab ipso, certe a Domino. 3. Non est enim ei bene qui assiduus est in malis, et eleemosynas non danti: quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus. 4. Da misericordiam, et ne suscipias peccatorem: et impiis et peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in diem vindictæ. 5. Da bono, et non receperis peccatorem. 6. Benefac humili, et non dederis impio: prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit. 7. Nam duplicia mala invenies in omnibus bonis, quæcumque feceris illi, quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam. 8. Non agoscetur in bonis amicus, et non abscondetur in malis

Tropologice, Admitte alienigenam, id est, opus et occupationem quæ a tuo instituto et professione aliena est; ac subvertet te in turbine. puta, cum magna animi turbatione, et abalienabit te a tuis propriis sanctitatis exercitiis, quia virtutum faciet pauperem, dum laxitatis faciet amatorem. Talibus dicat S. Basilius, et ex eo Cassianus lib. VII *De Institut. renunt.*, cap. XIX: «Senatorem perdidisti, et monachum non fecisti.» Et illud S. Gregorii: «Appetens aliena privatur suis.» Ita Clericus et Religiosus, tractans sæcularia, sua spiritalium sorte se fraudat, nec dicere potest: «Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei,» quia ejus pars et sors est sæculum. His dicit Christus gemens: «Extraneus (S. Augustinus legit, alienatus) factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ,» *Psal. LXXVIII*, 9. «Quid tibi cum mundo, qui major es mundo?» ait S. Cyprianus. Quocirca Salomon, *Prov. XXVII*, 8: «Sicut avis, inquit, transmigrans de loco suo, sic vir qui derelinquit locum suum. Rursum alienigena hic et peregrinus est concupiscentia, quæ Davidem ceterosque probos expellit e sede propria mentis suæ, ut vagentur per illecebras meretricum et epularum, uti docet S. Chrysostomus in *Psal. I*. Anima enim quid externum amans, quasi a se exit, et peregrinatur foris: quia anima magis est ubi amat, quam ubi animat. Porro id facit in turbine, turbando nimirum judicium rationis, ne illecebrarum fraudem videat; sicut piscatores solent perticis turbare aquas ut expiscentur anguillas, teste Aristotele lib. VIII *Histor. anim.*, cap. II, et Plinio lib. IX cap. XXII. Unde Aristophanes in *Equitibus*, eos qui in reipublicæ perturbatione se ditant et extollunt, comparat piscatoribus anguillarum. Unde et proverbium: «Piscari in aqua turbida.»

inimicus. 9. In bonis viri, inimici illius; in tristitia et in malitia illius, amicus agnitus est. 10. Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim ærumentum, æruginat requiritur illius: 11. et si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, et custodi te ab illo. 12. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne forte conversus in lectum tuum, inquirat cathedram tuam: et in novissimo agnoscas verba mea, et in sermonibus meis stimuleris. 13. Quis miserebitur incantori a serpente percusso, et omnibus qui appropiant bestiis? et sic qui comitatur cum viro iniquo, et obvolutus est in peccatis ejus. 14. Una hora tecum permanebit: si autem declinaveris, non supportabit. 15. In labiis suis indulcat inimicus: et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam. 16. In oculis suis lacrymatur inimicus: et si invenerit tempus, non satiabitur sanguine: 17. et si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem. 18. In oculis suis lacrymatur inimicus, et quasi adjuvans suffodiet plantas tuas. 19. Caput suum movebit, et plaudet manu, et multa susurrans commutabit vultum suum.

PRIMA PARS CAPITIS,

BENEFACIENDUM ESSE PIO, NON IMPIO.

1. SI BENEFECERIS, SCITO CUI FECERIS, ET ERIT GRATIA IN BONIS TUIS MULTA. — Græce, si benefacias, scito cui facias, et erit gratia bonis tuis; Syrus, si benefacias malo, nihil facis, neque est gratia gratiæ tuæ; Tigurina, cum benefacias, observa cui benefacias, ut beneficia tua mereantur gratiam plurimam; S. Athanasius vel potius Anastasius in *Quest. 84 ad Antiochum*: «Vide cui benefacias; hoc est, inquit, quid Deo facias. Si enim ad discernendos petentes id profertur, cur dicit Dominus: Da cuique unquam te rogaverit?» *Lucæ VI*, q. d. Cum alicui benefacias, benefac propter Deum, puta propter amorem et honorem Dei; sic non tantum homini, sed et Deo benefacias, ac proinde amplam ab eo gratiam et mercedem recipies. Sic et Rabanus: «Hortatur, inquit, ut simplici animo facias eleemosynam, quia ita solummodo misericordiæ opera apud Deum probantur, si simplici et munda intentione exhibeantur.» Verum hic sensus mysticus potius est quam litteralis; agitur enim hic de homine cui bene fit, non de Deo, ut patet ex sequenti: «Da bono, et ne receperis peccatorem.»

Primo ergo et genuine, q. d. Cum benefacias, vide ne benefacias ei qui beneficio tuo abutetur ad luxum, crapulam, libidinem, fastum, nequitiam, aut certe ad acediam et pigritiam. Multi enim pauperes robusti mendicant, quos satius esset laborare, et labore manuum victum sibi parare: qui ergo talibus benefacit, alit eorum inertiam et socordiam, ac vitia inde nasci solita. Unde contra hos exstat tit. in *Jure De validis mendicantibus*, ac in civitatibus bene ordinatis tales non permittuntur mendicare, tum ne alantur in otio, tum ne eleemosynas aliis laborare non valentibus præripiant, tum ne civitati et civibus sint oneri et periculo.

Secundo, q. d. Cum benefacias, vide ne beneficium vel officium conferas indigno, vel minus digno, omisso digniore. Hoc enim est contra justitiam distributivam, et sæpe commutativam. Vide Lessium tract. *De Justitia et jure*, lib. II, cap. XXXIV, dubit. 12 et sequent. Huic simile est illud Christi: «Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos,» *Matth. VII*, 6.

Tertio, q. d. Cum benefacias, vide ne benefacias ingrato, doloso, invidio et superbo, qui beneficio tuo armatus, et potentior factus, contra te insurget, teque supplantabit. De tali enim præcessit sermo cap. præced., vers. ultim.: «Admitte ad te alienigenam, et subvertet te in turbine.» Sic se explicat *Siracides* vers. 6 et seq.

Quarto et optime, vult *Siracides* ne beneficium indiscrete, cæce et sine ratione projiciatur in quemvis obvium, sed videatur cui conferatur, ut habeat gratiam. Gratia autem et decus beneficii in eo consistit, ut deceat donantem, æque ac donatarium, id est, eum cui donatur: deceat enim beneficium beneficiato, et donum donatario esse proportionatum et commensum. Quod enim uni est nimis, alteri est parum; et quod uni est parum, alteri est nimis. Vult ergo in beneficio servari τὸ ἄρπρον, id est decorum, ut ita pariter sit gratiosum et decorum. Quod enim nobili parum est, civi nimis est; quod parum indigenti nimis est, multum indigenti parum est; quod docto parum est, indocto nimis est, etc. Rursum beneficium personæ congruum sit oportet. Pueri poma dones, viro nummos, seni vina, rustico armenta, militi arma, studioso libros, doctori officium, nobili præfecturam (incongruum enim et inutile est, si rustico lanceam, militi ligonem porrigas): sic enim δάρον est δάρον, non ἀδρον; et χάρις est χάρις, non ἀχαρίς. Sic, inquam, gratia